



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 97. Gregorii cessio a Synodo acceptata & approbata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

pa Domini nostri renuntio, & cedo, expresse in his scriptis realiter & cum effectu, juri, titulo, & possessioni, quod, quem, & quam ipse habet in Papatu, & resigno coram Domino nostro Jesu Christo in hac sacrosancta Synodo & universali Concilio, sanctam Romanam & universalem Ecclesiam representante.

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

§. XCVII.

Gregorii cessio a Synodo acceptata & approbata.

Carolus facta renuntiatione locum suum mutavit, & alio se contulit, ut ostenderet, cessionem a se ore tenus factam ipso opere confirmari. Tunc Archiepiscopus Mediolanensis suggestum ascendens, jussu Cardinalis Præsidis schedulam perlegit in hanc sententiam: Sacrosancta Generalis Synodus Constantiensis in Spiritu Sancto legitime congregata universalem Ecclesiam Catholicam representans, cessionem, renuntiationem & resignationem pro parte illius Domini, qui in sua obedientia dicebatur Gregorius XII. juri, titulo, & possessioni, quod, quem & quam habuit in Papatu, vel nunc habet, nunc per magnificentem & potentem Dominum Carolum de Malatestis hic præsentem, ejusque ad hoc procuratorem irrevocabilem, pro eodem Domino, qui dicebatur Gregorius XII. factas ad-

H 4

mittit.

Sæcul. XV. mittit, approbat, & collaudat, Post hæc
 A.C. 1415. Hymnus Te Deum: solemniter cantabatur.

§. XCVIII.

Gregorius Arimini Papatum exiit.

*Niem. apud
 Vander
 Hard tom. 2.
 pag. 440.*

*Naucter.
 gener. 48.
 p. 414.*

Quamprimum Gregorio Arimini in Constantiensi Synodo gesta innuere, Cardinales suos, omnesque Prælatos, & Curiaë suæ Aulicos sibi adhuc dum adhærentes in Consistorium vocat, eisque Pontificali habitu ultima vice indutus declarat, approbare se, & laudare omnia, quæ a Carolo de Malatestis Procuratore suo in Constantiensi Concilio nomine suo acta fuissent. Tum vero tiaram, ceteraque Pontificalis dignitatis insignia deposuit, contestatus, se illis nullo unquam tempore usurum, sed contentum fore, ut primus fieret Cardinalis, ac perpetuus Marchiæ Anconitanæ Legatus, qualis etiam creatus fuerat per Decretum Concilii, in qua dignitate permansit usque ad mortem, quæ biennio post Recineti in Marchia Anconitana evenit.

§. XCIX.

Petrus de Luna a Synodo ad cedendum sollicitatus.

*Labbe Conc.
 to. 12. p. 119.*

Synodus generosam hujus Papæ abdicationem magnis celebrat laudibus, &